



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 227/18/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi a Summo Pontifice Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus die XII Februarii MMXVIII allatis a Carolo Martins, C.C., coordinatore Reliquiarum Peregrinationum per Civitates Foederatas Americae peragendarum, *plenariam* benigne concedit *Indulgentiam*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, omnibus christifidelibus vere paenitentibus lucranda, si sacris interfuerint Reliquiarum Peregrinationibus quae, magno cum concursu populi, plurimas per Civitatum Foederatarum Americae Dioeceses peragentur.


Ita peregrini ad virtutes supernaturales, praesertim Fidei, Spei et Caritatis, magis semper in actum vitae traducendas instimulabuntur et solidabunt suam communionem cum Romano Pontifice, totius Catholicae Ecclesiae unitatis visibili fundamento.


Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si sacris Peregrinationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Parochi et sacerdotes, opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti *ad septennium* valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XXIII mensis Martii, anno Domini MMXVIII.


MAURUS Card. PIACCENZA
Paenitentiaris Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens